

ne suspenso quidem parcens, direpta tunicula virilia ejus vexavit, et quidam longum ense per fauces usque ad intestina adegit: duo vero Latini generis, enses ambabus annexi manibus in nares adegerunt, ut periculum facerent uter esset acutior. Post tot ærumnas et clades ægre vitam abripuit, dextera cum dolore ad os admoda; ut multi putarent, eum calidum ex ea sanguinem, ob recentem plagam adhuc destillantem exsugere. Aliquot vero diebus interjectis, inde detractus in theatri fornacem quamdam, ut bestiis projectus, jacuit donec quidam humaniores in alium locum transtulerunt; quem tamen Isaacius non permisit sepeliri. » Hæc Nicetas. Quod si tantus princeps et poenitens quidem tam atrociter hic punitus est: quid, putatis, fiet impenitentibus in inferno? Terribile etiam crudelitatis spectaculum edidit Lysimachus, in Thelesphoro Rhodio amico suo, quem: « Decurtatum, inquit Seneca, l. III. de ira, c. XVII. cum aures illi nasumque abscidisset, in cavea velut novum animal aliquod et inusitatum diu pavit, cum oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidisset. Accedebat fames et squalor et illuvies corporis, in stercore suo destituti callosis super hæc genibus manibusque quas in usum pedum angustia loci cogebant. Lateribus vero attritu exulceratis, non minus foeda quam terribilis erat forma ejus visentibus. » Atque hunc in modum tractant homines se invicem, ac sepe præter culpam. Quid mirum, si in reprobos omnia dira meritos, simili vel acerbiori modo sæviat Dei justitia?

V. Interrogemus ethnicos: et isti enim dicent fuisse sibi ex parte cognitæ inferorum poenas; siquidem de iis variè varia scripserunt (uti Virgilius, lib. VI. Æneidos; Propertius, lib. II. et IV. Tibullus, lib. I. Ovidius, lib. IV. metamorph. et alibi, Horatius, Seneca) doctrinæ christianæ conformia, v. g. Tantalum apud inferos perpetua siti ac fame torqueri, aquis et pomis ori imminuentibus, quæ non possit arripere, quod aliud non significat, nisi famem et sitim inferorum intensissimam, inhiantissimam: Sisyphum perpetuo volvere scopulum ad montis verticem et revolve labentem dixerunt; quod interminabilem poenarum revolutionem significat: Ixionem Thesalum rota perpetua volvi aiebant, eadem significatione: Titium ob suum seelusita mulctatum, ut renascentes ejus fibras jecurque vultur dilaniet, quod sane vermem damnatorum globos semper rodentem et nunquam morientem ostendit. Plutarchus lib. de sera numinis vindicta, quemdam asserentem inducit, homines teterrimos scelerumque maculis notatissimos post

mortem in obscurum quemdam, et qui reserari nequeat, locum intrudi. Socrates apud Xenocratem ait, impii animum in occultum sub terra locum migrare et regionem illam æneis catenis undique vinciri. Constabat ergo et gentilibus, infernum ejusque intolerabiles poenas reprobos expectare.

VI. Interrogemus inferos ipsos: respondebunt primo, damnati omnes uno ore cum illo epulone: *Quia crucior in hac flamma*; et cum illo tinctorum apud S. Gregor. lib. IV. dial. cap. LIV. qui sepultus in templo S. Laurentii noctu e sepulcro clamavit: *Ardeo, ardeo*. Cujus sepulcrum cum inspiceretur, vestes ejus visæ sunt, sed corpus non inventum. Plures de hac re visiones scribit S. Greg. in dial. veluti l. IV. c. XXXI. ubi narrat reparatum vidisse parari cuidam scelerato rogum, cujus cacumen in cælum porrigi a terra videbatur.

Respondebunt secundo, dæmones, se hujus rei testes, coactos quidem, sed veros sæpius fuisse. Scribit ante annos 400. Cæsarius, lib. XII. cap. V. de nobili quodam Walthero, qui cum decumberet in villa Enderig prope Bonnam, ad Rhenum, vidit secus lecticam suam diabolum stantem caprinis cornibus et simiæ facie: ex quo quantus esset infernalis ignis æstus, perceptabatur. Respondit diabolus: *Nosti arces illas in vicino septimontio dictas Wolkenberg et Drakenfeld? Quo annuente, subdit dæmon: Et si arces hæc et montes ferrei essent, projecti tamen in infernum, momento citius liqueferent, quantumlibet magni sint alti et lati.*

Patres societatis Hispani, oculati testes Romam perscripserunt, anno 1604. (quod in litteras annuas collegii Huetensis provinciæ Toletanæ relatum est) dæmonem per energumenam, concionem sibi a Deo impetratam habuisse ad circumfusam multitudinem, qua ejus peccata coarguebat, ac inter alia dicebat: « Me ex cæli vertice ad barathrum dejecit peccatum, et vos illum in terra locum tutum existimabitis? Eundem igitur vobis erit, nisi caveatis, cum inferis satanis ad sulphur, ad ignem, ad pontem, ad castellum, ad fluvium, ad rotundam domum. » Quibus verbis utique varia tormentorum et genera et loca in gehenna significabat.

Respondebit denique inferus ipse: Videte ora mea seu caminos incendiæ mei Vesuvium et Ætnam, illum in Campania, istum in Sicilia, perpetuo fumantes, et sepe hammarum globos cum immenso cinere evomentes. Vidistis et experti estis primo anno 81. Vesuvii eruptionem, ut scribit Suetonius, in Tit. capite VIII. Dio in Tito; Plinius, in epist. ad Tacit. Ait igitur Dio primo,

CONCIO III.

S. EUCHARISTIA NECESSARIA MORIENTIBUS.

I. Necessaria est velut testimonium. — II. Velut viæ dux et index. — III. Velut gladius ad defensionem. — IV. Velut viaticum.

THEMA.

Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Joann. IV.

Meministis, auditores, quod lib. IV. Reg. c. IV. legimus, Elisæum a Sunamitide rogatum ut descenderet de monte Carmeli in domum ejus, et filium, qui paulo ante mortuus erat, in vitam revocaret. Ingressus enim Elisæus domum defuncti, incubuit super eum, contrahens membra sua, ut os ori, oculi oculis, manus manibus pueri commensurarentur; sicque calefacta carne ejus, vitam ei restituit. Quid vero Elisæus iste de monte ad extinctum puerum descendens eique se coextendens, nisi Christum Dominum in sancta eucharistia de cælo se demittentem ad hominem peccatorem eique se unientem ac quodammodo commensurantem typice designat? Ad hoc enim ut peccator salutem consequatur, requiritur descensus, et ut sic dicam incorporatio Christi per susceptionem eucharistiæ, suo tempore peragendam sive reipsa, cum est facultas: sive in voto, cum non est facultas. Id enim expresse dixit Christus, Joann. VI. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*. Quod explicans D. Thomas, part. III. quæst. LXXX. artic. XI. ait: « Sine voto percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus: frustra autem esset votum, nisi impleretur quando opportunitas adesset; et ideo manifestum est, quod homo teneatur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini, etc. » Hoc idem, sensu mystico videtur nobis insinuassee regulus hodiernus, qui ut filio jamjam morituro sanitatem impetraret, rogavit Christum instanter ut descendere ad filium dignaretur. Jam vero si unquam urget præceptum sumendi eucharistiam, urget in periculo mortis; ideoque ex laudabili Ecclesiæ consuetudine, quam omnino retineri vult Concilium Nicænum, l. can. III. aliaque relata causa XXVI. quæst. VI. cap. *Si quis. c. De iis. et Tridentinum, sess. XIII. c. VI.* omnibus Christianorum sæculis usitatum erat eucharistiam ab infirmis flagitari et ad eosdem deferri, ut non videatur negandum, esse hanc traditionem apostolicam. Cujus rei causas aliquot hic discutemus.

Exodi XII. præcepit Deus ut Israelitæ ad peregrinationem in terram promissionis sese accinerent, prius agnum comederent, peregrinorum habitu, adeoque accingerent renes suos, haberent calcamenta in pedibus, tenerent baculos in manibus et comederent festinanter. Quæ omnia peregrinorum sunt, indicantque ad litteram, ut eo indicio agnoscerent Hebræi se peregrinatos de Ægypto in Palæstinam; mystice vero, ut Christiani etiam monerentur, verum agnum, Christum in eucharistia, tunc sibi maxime necessarium ac sumendum, cum ex hac vita peregrinari ad alteram debent, cum jam ad iter accingitur lethalis morbi cingulo, jam pedibus non insistere, sed aliorum brachiis teneri et ductari incipiunt.

I. Quatuor autem sunt, quæ videntur peregrino maxime necessaria. Primo, testimonium, seu vitæ honestatis seu sanitatis loci, a quo venit. Quod vero melius testimonium, quem majorem testem ferre nobiscum ex hac vita possumus, præterquam Christum Dei Filium, de quo scriptum legimus a Davide, Ps. LXXXVIII. *Testis in celo fidelis*. Ad quem locum alludens Joannes, Apoc. I. ait: *Gratia vobis et pax a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terræ: qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Syriace adhuc magis emphatice: *Et a Jesu Christo, illo teste: illi fidei, illo primogenito mortuorum*. Vult ergo dicere Joannes, Christum esse eximium quemdam omniumque excellentissimum testem, qui vel solus coram Deo in celo omni fide dignissimus sit, ut qui in sumptione eucharistiæ intima cordis nostri scrutatus sit; est etiam *primogenitus mortuorum*, q. d. fundator et instaurator resurrectionis nostræ; *princeps item regum terræ*, cujus testimonio standum, qui et ipse lavit nos in sanguine suo, partim ut causa universalis in cruce, partim ut particularis in usu sacramenti. Quis huic testi non det fidem? Quamobrem Isa. LV. vocatur *testis et testimonium*: ubi enim vulgata legit: *Ecce testem populis dedi eum*; ibi Septuaginta legunt: *Ecce testimonium gentibus dedi eum*. Tametsi vero cælestis Pater novit omnia nostra, nec indiget alio teste vitæ nostræ; quia tamen regnum suum nemini concedit nisi per merita Filii sui, idcirco ipsius testimonium jure merito requirit. Sic enim, v. g. episcopus nemini confert beneficium, nisi quis afferat commendationem et (ut vocant) præsentationem a patrono, qui beneficium id fundavit; licet episcopus noverit esse dignum, qui id petit. Atqui fundator gloriæ et resurrectionis est: *Primogenitus mortuorum Complacuit* (Deo Patri) *per eum reconciliare omnia, pacificans*

per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terra, sive quæ in cælis sunt: et ad Ephes. I. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt*. Noluit Joseph fratres suos agnoscere pro amicis (tametsi revera agnovit) sed pro exploratoribus habuit et dure satis excepit, donec adducerent secum fratrem suum minimum, Benjaminum, quasi testem sinceritatis et verborum, quæ ipsi enarraverant: *Non videbitis faciem meam*, inquit, *nisi fratrem minimum adduxeritis vobiscum*, Genes. XXXIV. Quod ubi factum est, quam dure eos antea, tam clementer postea excepit, et convivium eis instruxit splendidum atque opiparum. Hunc in modum Deus Pater requirit a nobis in judicio cujusque particulari fratrem nostrum non ultimo, sed primogenitum Christum, verum Benjaminum, verum *filium dexteræ* ejus, (tametsi et ipse frater noster minimus est, qui exinanivit semetipsum usque ad mortem crucis, nostri etiam gratia in minima eucharistiæ specie minimus efficitur) ut sit testis fidei et amicitie nostræ, velut fundator gloriæ. Hunc nisi in voto saltem, et ubi facultas fuit reipsa a nobis susceptum adduxerimus ad tribunal Dei, timeo vehementer ne velut exploratores e conspectu ejus ejiciendi simus. Cæterum, auditores, et hoc advertendum est, bonumne an malum sit hoc testimonium. Scimus enim ex apostolo, judicium sibi manducare, qui male: vitam, qui bene manducat. Benjamin certe fratribus suis, bonum testimonium fuit, quia bonos et veraces ostendit. Viderint morituri ut simile testimonium habeant, neque indigne Christum sumant, dicentes ipsum esse amicum, cum revera sit inimicus. Scitis absque dubio quanto suo malo tulerit Urias litteras propriæ mortis ad ducem suum Joab, ita sonantes: *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium et delinquit eum, ut percussum intereat*, II. Reg. XI. O funestum testimonium! Nihilominus, longe acerbius ac funestius testimonium secum in sinu feret qui cum indigna communionem ad Deum hinc migrabit; dæmonum enim insidiis expositus in articulo mortis, ubi prælium est fortissimum, heu! percussus interibit. Mirum quid de charadrio ave minima scribit Ælianus, libro XVII. histor. animal. cap. XII. necnon Albertus M. lib. XXIII. animal. lit. C. quod si icteritum aliquem sine nictatione ex animo respiciat, sic affectum hominem suo obtutu ad sanitatem reducat: sin autem ab ægroto visum avertat, indicet illum esse moriturum. Credant mihi ægroti, hujusmodi avis minima Christus Dominus est in minima s. eucharistiæ hostia. Hic si placido vultu et rectis oculis aspiciat eos in ægritudine per dignam

communionem, præclarus erit testis, tribuendam ipsis salutem æternam. At vero si indigne susceptus vultum ab eis averterit, mortem eis præ-sagiat æternam. Diximus alibi Wedekindum Saxonum ducem vidisse in castris Caroli M. communicantes Christianos, et Christum in s. hostia, specie puerili, ad alios quidem blando et ridente vultu, ad alios vero adverso et renitente ingressum esse. Aspiciat unusquisque suam conscientiam, et videat quo vultu aspiciat ipse hunc puerum et minimam aviculam, quo animo erga ipsum affectus sit; eodem enim vultu aspiciet ipsum Christus. Audiamus D. Chrysostomum, in lib. de sacerdotio ita scribentem: « Quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui et id vidisset ipse et audisset: quod qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura conscientia fuerint participes spiritum effaturi, ab angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacramentum, hinc recta in cælum abducuntur. »

II. Viæ dux et index. Ad cælum omnes contendimus, sed qua ratione eo evolabimus? Aspirarunt sane eo etiam gentiles, saltem potentiores, sed quia viderunt propriis se volatibus eo pervenire non posse, quid excogitarunt? Mortuo aliquo principe et super rogum posito, cum accendebatur rogus, dimiserunt ex ejus loculo aquilam in sublime evolantem, quasi ea principis animam ad cælum evectura esset, teste Pierio, lib. XIX. hierogl. Sed o miserum victorem! Non habebant isti, qui ad cælum eos veheret aut viam cæli monstraret, habemus nos Christiani, et quem alium nisi Christum, qui in sua ascensione velut insignis aquila cælos penetravit, eademque ratione nos secum evehere potest et portare in humeris suis, quo modo aquila solet gestare in alis pullos suos. Nemo nobis viam cæli melius monstrare potest, quam qui in cælo fuit et de cælo descendit. Hic autem Christus est, qui de seipso ait: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo* (propriis scilicet viribus) *Filius hominis*. Hic igitur viæ dux, hic judex, hic *currus et auriga* nobiscum accipiendus est, (quod fit in s. communionem) cum hinc ad cælos emigrare velimus. Cum aliquando domus Joseph occupare vellet civitatem Bethel, nescirent ingressum ejus, viderunt hominem egredientem de illa civitate, duxeruntque secum ut ostenderet eis introitum civitatis, atque ita nullo negotio occuparant civitatem, Judic. I. Quid vero Bethel aisi domum Dei sonat? Et quid nisi cælum denotat? Hoc ergo qui violenta manu expugnare et intrare vult, ducat secum hominem illum, qui

IV. PARS FESTIVALIS.

inde egressus est, Salvatorem nostrum, qui de seipso ait: *Ego sum via*, Joan. XIV. Felices Christiani, qui aquilam illam grandem, ante suum obitum condunt in loculo pectoris sui, ut cum ea evolent ad cælestem gloriam. Felices, qui hunc hominem de cælesti domo egressum secum ad eandem ducunt: infelices contra infideles et hæretici imprimis, qui eo destituuntur: miserandi etiam catholici aliqui, qui vel culpa sua, vel etiam absque culpa frui hoc ductore nequeunt. Jure hi ingemiscunt et cum desolato illo languido dicunt: *Hominem non habeo, ut mittat me in piscinam* (cæli.) Joan. V. hominem non habeo qui mihi monstret viam cæli. At nos, auditores, numquid dicere possumus: *Hominem non habeo?* Aspice sacrarium. Ecce homo ille; qui expectat tuum ex hac vita abitum; non aliter ac Raphael præcinctus et paratus ad ambulandum expectavit in foro Tobiam, ut duceret eum in Rhages, Tob. V. Neque solum ducere, sed et difficultates omnes a via amolire novit. Recordamini arcæ fœderis, quæ populum Hebræorum jamjam ingressurum terram promissionis, duxit per Jordanem! Gestabant eam sacerdotes, et cum ingrederentur Jordanem, steterunt aquæ a dextris et intumuerunt montis instar; quæ vero a sinistris erant, defluebant in mare mortuum. Dum itaque fœderis arca stetit in medio fluminis, transierunt siccis pedibus, quotquot erant Hebræi, Jos. IV. Quid Jordanis ripa, nisi mortis propinquitas? Illic transeundum est, unde S. Joan. c. XIII. Christi mortem appellavit *transitum*, transeundum est, et per fluctus quidem dolorem, tentationum, angustiarum. Terrent maxime et minantur aquæ, quæ a dextris constitutæ in altum sese erigunt; amara scilicet mortis memoria homini pacem habenti in substantiis suis, Eccl. XLI. Quid igitur remedium? Quis inhibebit aqua, quo siccis pedibus transeamus? Afferatur ad nos arca humeris sacerdotum, afferatur eucharistia, præeat nos per Jordanem; illa sacerdotum opera aquarum illapsus sustinebit, et si voluerimus, sicco nos vestigio deducet in terram illam, ab omni culpa immunes.

Verum ad tanti momenti tantique periculi transitum præparatione bona opus est: *Vivere*, ait Seneca, I. de brevitate vitæ, cap. VII. *tota vita descendum est*: quin et mori quoque tota vita descendum est. Sanctificent igitur se ægroti, comparent cibaria operum bonorum sacerdotum monita sequantur, magno demum animo et fide Jordanis hujus alveum subeant: aderit Dei virtus. Exiguum intervallum est inter hanc et illam ripam.

III. Gladius ad defensionem contra incursus hostium. Circumdari et oppugnari morientem a malignis spiritibus, nemo est qui dubitet, et ss. *Letteræ docent*. At nonne in eo temporis articulo homo imbecillissimus et ineptissimus est ad prælium? Sui ipsius obliviscitur, vix manum ad os ducere potest, et quomodo tunc pugnabit, nisi a fortiore aliquo adjutus? « O anima mea, inquit D. Bernard. in l. medit. quis erit ille pavor, cum dimissis omnibus, quorum tibi præsentia est tam jucunda, sola ingredieris et ignotam tibi penitus regionem: ubi occurrentia calervatim teterrima monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? Quis consolabitur? Quis te deducet? » Tum subdit: « Elige ergo illum tibi amicum tuum, qui cum omnia subtracta tibi fuerint, solus tibi fidem servabit in die sepulturæ tuæ. » Quis vero hic amicus noster, nisi Christus Jesus, quem per dignam communionem nobis agglutinamus? Si solus iter agere debeas per locum periculosum, melior tibi amicus non est, quam insignis gladius, quo vitam tuam defendas. Talis porro eucharistia est; uti ex illius figura discimus. Etenim Judie. VII. periclitante Israelitico populo propter obsidionem Madianitarum, immisit Deus militi cuidam Gedeonis somnium, quo videbatur ei panis subcinericius volvi et descendere in castra Madian; cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit. Quod somnium eum narrasset miles suo commilitoni, respondet alter: *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis*; factumque ut cum pauculis vitis Gedeon hostes fuderit ac fugarit, clamante toto exercitu: *Gladius Domini et Gedeonis*. Quid hic panis, quæso, nisi eucharisticum illum designat? Cum ergo tibi instat obsidio Madianitarum *littigantium*, scilicet dæmonum, (hoc enim sonat Madian) arma te hoc pane; volvetur enim in castra illorum, eaque funditus subvertet, et erit tibi gladii instar quo Dominus ipse pro te pugnabit. Huc fortasse respexit apostolus cum ad Ephes. VI. scripsit: « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum: contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. » Quinam illi dies malus, nisi dies agonis, quo cum morte pari, ac dæmone luctandum? Ibi igitur accipienda est armatura Dei: et quæ aptior quam ipse Jesus in sacra eucharistia? Hac enim dum armamur, quasi Christum ipsum induimus, ipsius potius quam nostram personam referentes. Echinus marinus, ut scribit D. Am-

brosius, lib. V. hexam. cap. IX. præsentiens tempestatem, calculum validum arripit eoque se velut anchora firmat prægravatque contra fluctus. Quid salubrius nos docere hoc animalculum potuisset? Cum igitur imminet nobis sæva mortis tempestas et tentationum fluctus, calculum nobis quæramus, quo firmati ac prægravati resistere possimus. Calculus hic eucharistia est, de qua intelligit Hugo cardinal. quod legimus, Apocal. II. *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum*. Sane olim Christiani tempestate persecutionis, s. eucharistia se muniebant, ituri ad tribunalia, aculeos, catastas et supplicia, ut patet ex S. Cypriano, l. I. epist. II. ad Cornelium. Qui etiam in exposit. orat. Dom. ait: *Non est idoneus ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, quia mens deficit, quam recepta eucharistia non erigit et accendit*. Ea etiam de causa dabatur tunc fidelibus eucharistia domum deferenda, ut eam instante periculo sumerent; quod etiam Mariæ Stuartæ Scotiæ reginæ concessum a Pio V. pontif. ut in carcere posita ante martyrium s. eucharistiam a suis ipsa manibus sumere posset, apud Florim. de orig. hæres. lib. VI. cap. XIX. Sanxit etiam Anacletus, quartus a Petro pontifex, ut in crudescente persecutione omnes Christiani prius in officio missæ s. communionem sumerent eaque se roborarent ad martyrii agonem. Cujus etiam rei typum in libro Exodi habemus, ubi Israelitæ non prius bello infestati sunt ab Amalecitis, quam prævio manna et aqua de petra satiati essent, Exod. XVI. et XVII. quasi præmisso hoc munimento postea invicti essent.

IV. Necessarium est viaticum ad vires corporis delassatas subinde restaurandas. Eliæ, tædio vitæ mortem optanti (ob Jezabelis persecutionem) atque adeo ad eam se jam quasi componenti sub junipero defertur ab angelo subcinericius panis, diciturque: *Surge et comede*. Comedit ergo aliquantulum, sed cum rursus obdormisset, iterum adest angelus, monens ut plus comedat, siquidem nondum extra periculum sit et multam adhuc viam debeat conficere, donec in tuta veniat, indigeat proinde de majori et iterata refectione: *Surge, inquit, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit et bibit et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb*, III. Reg. XIX. Panem illum designasse eucharistiam morientibus necessariam agnoscit Concilium Tridentinum, sess. XIII. cit. c. VIII. dum ait: *Cujus vigore (eucharistia) confirmati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam pervenire valeant*. Indiget sane

infirmus hoc confortamento, quia grandis adhuc via ipsi emetienda restat; multæ enim Jezabelis seu mundi persecutiones, multæ dæmonis tentationes urgent morientem: via mortis aspera, difficilis, tædiosa et amara est: ac licet sensus omnes pene oppressi sint; nondum tamen extra aleam est, sed vivit adhuc igniculus prævæ concupiscentiæ, uti clamabat bonus quidam ægrotus alibi relatus. Grandis denique vita est perseverantia, quæ ad ultimum spiritum se extendit, estque omnino necessaria. Quam ob causam verissime de his etiam dicere Christus potest, quod de aliis peregrinis dixit Marci VIII. *Misereor super turbam, quia non habent, quod manducent: et si dimisero eos jejunos, deficient in via*. Propterea s. eucharistia nomen viatici obtinuit retinuitque in Ecclesia, quod morientibus necessaria sit ad conficiendam mortis viam, non minus quam viaticum est peregrinantibus. Lex apud Hebræos erat, ne servi manumissi dimitterentur vacui, sed ut daretur eis viaticum a dominis, de gregibus, area et toreulari, Deut. XV. Ex qua lege Cyrillus Alexandrinus, lib. VII. de adorat. in spiritu, deducit necessitatem s. communionis in articulo mortis. Quando igitur Christianus aliquis Deo in Ecclesia servivit usque ad vitæ periodum, adeoque jam manumitti atque ad alteram vitam dimitti debet, justum et æquum est ut detur ei viaticum corporis et sanguinis Domini agnoscere Dei immaculatus, qui tollit peccata mundi. Non solet autem Ecclesia negare id morientibus, imo omnibus modis hortatur, uti ne sine illo discedere velint. Viderint ergo illi, qui hoc munimento sponte sua privant: viderunt etiam gentiles Romani, naturali quodam instinctu, necessarium esse morientibus aliquod viaticum; argentam enim monetam in ora defunctorum immittere solebant, sicque eos efferre, quo nimirum extincti naulum solvere Charonti possent, quem dicebant stygium nautam, ad devehendas in Elysæos campos illorum animas constitutum. Superstitio hæc gentilium fuit. Veritas christiana est, defunctorum animas, quæ in statu gratiæ sunt, deferri a ss. angelis ad Elysæos cæli campos. Porro non dubitandum, sanctos illos vectores a morientibus Christianis exacturos naulum suum. Quem vero alium ipsi exigent, nisi quem summe amant ac venerantur, Christum in eucharistia? Plusquam aurea moneta est hæc ss. angelis, quæ propterea etiam vocatur panis angelorum, Psal. XI. Eam vero requirent angeli ore defunctorum seu verius morientium, num videbunt juxta Christi et Ecclesiæ præceptum exacerperint ore naulum istum, priusquam emigrarent. Vidimus supra ex S. Chrysostomo animas fide-

lium hoc viatico munitas recta a ss. angelis ad cælos evehi. Felices qui hoc naulo bene instructi sunt, infelices qui destituti, insani qui eum negligunt. Licet vero pœnitentia jam præcesserit vitamque ægro dederit, consummatam tamen salutem non nisi adjuncta eucharistia dabit, cum haberi commode potest. Facile est post pœnitentiam relabi in priora peccata; eucharistia singulare præsidium est ad perseverandum in accepta gratia, præsertim sæpius digne suscepta, quod etiam suadendum infirmis quando in infirmitate diutius detinentur. Audivimus enim paulo superius angelum Eliæ iteratam et largiorem suasisse refectionem: *Quia grandis tibi restat via*, inquit. Hanc etiam ob causam eucharistia panis angelorum appellatur, Psalm. LXXVII. interprete Hugone, quia angelis propemodum pares et incorruptos facit. Potuit manna, de quo ad litteram Psalmus ibi loquitur, adeo confortare et incolumes servare Hebræos in deserto per annos quadraginta ut non esset: *In tribus eorum infirmus*, (Ps. CIV.) ut Moysi jam seniculo non caligaret oculus ejus et dentes ejus non moverentur, (Deut. XXXIV.) ut Caleb anno ætatis 85. tam vegetus ac valens esset quam erat anno 45. (Jos. XIV.) Et si hoc potuit manna præstare corporibus, idem absque dubio poterit eucharistia, crebro inquam et digne sumpta, prestare animabus. Hinc itaque sancti viri in extremis positi ardentissimo desiderio viaticum hoc expetebant uti Sanctus Nicolaus Tolentinas, qui hanc causam addidit: *Ut tanto viatico munitus non deficiam in via ad cælestem patriam profecturus: et si ob demerita mea improbus Belial, hostis meus, mihi occurrerit, possim fidenter dicere: Dominus mihi adjutor et ego despiciam inimicos meos*. Itaque corpus Domini cum profusissimis lacrymis sumpsit, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, in vita apud Sur. 10. septemb. c. XII. Aliqui etiam sancti in extrema necessitate, cum humanitas non potuere, cœlitus eucharistia delata communiti sunt. Sanctus Ambrosius, cum e vita discessurus eucharistiam desideraret, nec jam fari posset, Honorius Vercellensis episcopus ter in somno admonetur ut abeat ad Ambrosium eumque communicet, Paulin. in vita: *Beatus Stanislaus Kostka* s. J. eucharistiam, quam in periculoso morbo cupierat, ex angelorum manibus, ductu Sanctæ Barbaræ mediæ inter eos incedentis accepit, Sacchin. in ejus vita: *Sanctus Dionysius Areopagita* in carcere detentus et eucharistiam ante martyrium desiderans, a Christo communicatus est, Hilduinus, in ejus vita: *S. Lucia* etiam jugulo perfosso mori non potuit, donec sacram accepisset communionem, Aloys.